

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicas & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

LXV. De connectione triplicis parabolæ apud. Matt. Simile est regnum & .

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

*rum, vietus  
sobrius, actus  
iustus, sensus  
pius.*

obedienter, id est, castè, charitable, humiliter vixerimus. Per continentiam enim castitas, per socialitatem charitas, per obedientiam humilitas acquiritur. Et hæc est virtus, quæ animam perfectè Deo subditam, sub umbra alarum ipsius securè facit vivere. *Actus iustus* erit, si fuerit rectus, discretus, fructuosus. Rectus per bonam intentionem, discretus per mensuram possibilitatis, fructuosus per utilitatem proximorum. *Sensus pius* erit, si fides nostra D E U M sentit summè potentem, summè sapientem, summè bonum, ut per eius potentiam, nostram credamus adjuvari infirmitatem: per eius sapientiam, nostram credamus corrigi ignorantiam: per eius bonitatem, nostram credamus dilui iniquitatem. Tria sunt quæ mortem sanctorum faciunt preciosam, quies à labore, gaudium de novitate, securitas de æternitate.

## S E R M O L X V.

De Connexione triplicis Parabolæ, apud Matth. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, &c.*

\*a Matt. 13. f

*1. Parabola  
thesauri in a-  
gro.*

**T**riplicem nobis commendat gradum parabola triplex lectionis unius. Ager est corpus. Huic dum adhuc dominantur passiones desideriorum, jacet incultus, & obnoxius maledicto. Spinas & tribulos germinat, quid intus lateat ignoratur. Quis enim eo tempore idoneum reputet ferre dignos poenitentia fructus? Quid tam insipiente exponis anima corpus tuum? Nescis quid absconditum sit in eo. *Quid nisi regnum cœlorum?* Invenire est in eo salutis opera, quibus regnum cœlorum poteris adipisci. Eme ergo agrum, & concupiscentiis tuis tibi vendica corpus tuum dato nimis precio sementis & occasionibus ipsarum concupiscentiarum.

*2. Negotia-  
ris ementis  
margaritas.*

Ubi vero thesaurum effoderis, esto jam negotiator, & pretiosas margaritas quære. Si preciosissimam unam inveneris, etiam tunc vende quicquid habes, & eme eam. Quæ est tamen una tam preciosa? Neque enim mirum si pro thesauro vendidit quæcumque habebat, id est pro divitiis salutis, & peccata & peccati somenta deseruit. Hæc quippe sola prius habebat. Nunc autem, ubi thesaurum hunc reperit, quomodo querit bonas margaritas, & pro una omnia vendit? Ego unam hanc nihil aliud quam unitatem arbitror esse. Quarit autem bonas margaritas, qui in opere salutis suæ non est contentus inferioribus bonis, sed summa quæq; & excellentiora perquirit. Nihil ergo preciosius inveniens unitate, non parcat omnibus cæteris propter eam: jeuniis, vigiliis, orationibus audacter præferat unitatem.

*3. Sagenæ mis-  
se in mare.*

Volo autem, ut in ea quoque sic maneat, non quasi unus ex omnibus, sed quasi cum omnibus unus. Latum expandat finum, ex omni genere affectionum claudat intra viscera sua, omnibus omnia fiat, congaudere paratus & compati: gaudere cum gaudientibus, flere cum flentibus. Erit enim

enim cum ad littus veniens, malos pisces à sagena charitatis excludet, & quicquid molestum est, foras mittetur.

## S E R M O N E L X V I .

*De octo beatitudinibus oppositis totidem peccatis.*

**E**odem ordine quo præcessit culpa, subsecuta est etiam culpæ medici-  
na. Primum peccatum est factum in cœlo per superbiam prævarica-  
toris angeli, qui dixit in corde suo <sup>a</sup>: *In cælum concendam, super astra DEI  
exaltabo solium meum : sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis : af-  
cendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo.* In seipso tumuit, &  
de sorte beatorum spirituum eiectus cœlorum regnum amisit. Contra hoc  
peccatum dictum est <sup>b</sup>: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum  
cœlorum.* Secundum peccatum commissum est per inobedientiam mulie-  
ris in paradiſo. Ex hoc peccato facta est caro rebellis spiritui, ut quoniam  
spiritus eius non fuit subjectus Creatori, nec caro sit subjecta spiritui. Con-  
tra hoc est dictum <sup>c</sup>: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Horum  
duorum peccatorum comprehendit Dominus medicinam, dicens <sup>d</sup>: *Disci-  
pule à me quia mitis sum, & humilis corde.* Tertium peccatum fuit, quod ipsa  
mulier virum quoque secum traxit in culpam. Debuit quidem illa pecca-  
tum suum deflere, nec addere peccatum peccato: sed in hoc se putavit ha-  
bere consolationem, si virum faceret peccati sui participem. Quodammo-  
do enim naturale est unumquemque velle, sive in vitiis, sive in virtutibus  
associare sibi consortem. Contra hoc peccatum est istud remedium <sup>e</sup>:  
*Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Quartum peccatum commisit Adam, qui consensit. Adam enim (si-  
cuit ait Apostolus <sup>f</sup>) non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione  
fuit. Illa per ignorantiam, iste peccavit per infirmitatem. Peccavit autem  
nimis diligendo uxorem, non quia eius voluntatem fecit, sed quia eam vo-  
luntati prætulit divinæ. Unde & à Domino ei dictum est <sup>g</sup>: *Pro eo quod o-  
bedisti voce uxoris tua plusquam mea, maledicta terra in opere tuo.* Justū quip-  
pe erat, ut illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat. Quis vero am-  
bigat plus eum debere conditori quam uxori? Siquidem uxori erat astri-  
bus tantum per amorem, Deo autem per timorem simul & amorem. Plus  
ergo debuerunt valere duo vincula ad tenendum eum erga Dei præceptum,  
quam unum tantum erga conjugis affectum. Contra hoc quartum pecca-  
tum, adhibitum est remedium, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoni-  
am ipsi saturabuntur* <sup>h</sup>. Habuit quidem Adam justitiam, à justo Deo creatus  
justus, sed quia nō eam ex libro arbitrio direxit, facile ab ea per idem liberū  
arbitriū deflexit. Quo contradicitur per Psalmist. de Christo <sup>i</sup>: *Dilexisti ju-  
stitiam, & odisti iniquitatem.* Quintum & quæ peccatum commisit, qui propriam  
culpam

Sermones S. Bernardi.

X x x

1. Peccatum  
superbia; huic  
oppon.  
1. beatit.  
<sup>a</sup> Eta. 14. d

b Matt. 5. a  
2. Peccat.  
Inobedientia.  
huic oppon.  
2. Beat.  
c Ibidem.  
d Matt. 11. d  
3. Peccat. Se-  
ductio Ada-  
mi, huic op-  
pon. 3. beatit.

e Matt. 5. a

4. Peccat. con-  
sensus huic op-  
pon. 4. beatit.  
<sup>f</sup> 1. Tim. 2. a  
<sup>g</sup> Gen. 3. c\*

Adam plus  
debebat Condi-  
tori quam V-  
scori.

<sup>h</sup> Matt. 5. a

<sup>i</sup> Psal. 44. b